

† R. P. Petrus Paulus Murray (1858–1939)

(Prov. Austral.)

Licet interdum in Petro Paulo Murray signa senectutis videri possent, nequaquam dicendum erat venerabilem Patrem nostrum sensuisse; nam usque ad finem servabat talem urbanitatem morum et stabilitatem virtutum, qualem semper per longam vitam exhibuerat. Aliquot menses ante diem suum ultimum graves dolores corporis cum magna constantia animi et silentio patiebatur. In-gradescente autem morbo Perthii in nosocomio S. Ioannis de Deo tres dies decubuit. Quo in loco 17 die Iunii, renovatis votis suae professionis, munitus sacramentis ultimis Deo animam reddidit. Antequam expiraret, Adm. R. P. Rectorem

Ioannem Walsh affatus est dicens: « Ab omnibus Superioribus atque confratribus veniam humiliter peto ob negligentias et culpas meas plurimas. Itemque iis gratias ago propter magnam beneficentiam mihi semper illatam ». Quae verba dignum finem fecerunt vitae diuturnae Deo et animabus consecratae.

R. P. Petrus Paulus Murray die 7 Iuli 1858 natus est ad Nenagh, oppidum florens Hiberniae, ubi parentes eius beneficiis Divinae Providentiae abundanter gaudebant. In iuventute vocem Dei ad altiora vocantis audit; quapropter, curriculo studiorum in collegio Patrum Iesuitarum ad Silvam Clongowensem finito, novitiatum nostrum Bishop Eton intravit. Superiores mox optimas qualitates novitii comprobarunt atque 29 die Iunii 1877 libenter eum ad vota admiserunt. Exinde Tavam (*Teignmouth*) progressus, 10 die Septembris 1882 presbyter ordinatus est. Post VI annos missus ad iuvenatum Hibernicum, Patris Directoris Iacobi Thomson Socius. At, R. P. Thomson morbo phthisi gravato, R. P. Murray in locum eius successit. Sic per decennium litteris et scientiis plurimos instituit alumnos, qui multis in terris decori fuerunt magistro, aequae idoneo ac perito.

Ad firmanda varia opera condita a Patribus, qui anno 1882 primi oras Australienses appulerant, R. P. Murray cum aliis anno 1902 iter marinum 11 603 millium perfecit: nec in posterum patriam repetiit. Annis labentibus vidit Vice-Provinciam, parvam quidem et exiguam, crescere in Provinciam valentem vice sua usque ad insulas Philippinas necnon ad fretum Malaccense se protendentem. Cuius progressus R. Pater socius et adiutor

eminens exstitit: nam quoad eius facere potuit, opibus et consiliis omni rei ad gloriam Dei conducenti valde favebat.

Usque ad annum 1929 domos Mayfield, Ballarat, Wellington, Perth vicissim gubernavit. In Mayfield ecclesiam, cuius formam ipse adumbraverat, in S. Alfonsi honorem aedificavit, eamque nullo aere alieno oneratam reliquit. Per longum tempus munus Consultoris Provincialis egit; denique Vice-Provincialis nominatus est: in quibus officiis eius prudentia et solertia et bonitas animi nunquam non nitebant.

Multum amabat artes musicae et picturae; in quibus ipsius calliditas neququam erat mediocris; attamen animi virtutes in eo vel magis elucebant: amor erga SS. Redemptorem, spiritus orationis, caritas generosa, abnegatio sui ipsius in omni re sive magna sive parva. Quare permissu Rectoris, ut ad orationem se magis daret, ante communitatem surgere solebat et, secutus S. Alfonsi exemplum, multas horas coram Sanctissimo consumere. Imprimis erga infirmos curam et benignitatem exercebat, saepius eos invisens et quavis in re opitulaturus. Normam itaque a Domino Nostro propositam certe assecutus est: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* In observantia regulari diligens erat, ita ut exemptionem nullam, etiam in senectute, sibi permetteret.

Annos LXII zelo integro in vinea Domini laboravit¹; vocationi fidelis, in discrimine prudens, in consilio et in actu sapiens et rectus: *Sacerdos magnus qui in vita sua suffulsit domum; et in diebus suis corroboravit templum.*

In exsequiis, 19 die Iunii, ipse Archiepiscopus Perthensis, Exm̄us et Rm̄us Raymundus Prendiville, Missam sollemnem cantavit, et ad tumulum, assistentibus sacerdotibus et fidelibus permultis, preces liturgicas recitavit. R. I. P.